



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Aureum Numisma Celsissimi Principis Ferdinandi Episcopi Paderbornensis,
Coadjutoris Monasteriensis, Comitis Pyrmontani, Liberi Baronis De
Furstenberg, Ab Eo Muneri Missum. Dialogvs Poetae Et Nvmmi. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

AUREUM NUMISMA

CELSISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI

EPISCOPI PADERBORNENSIS,
COADJUTORIS MONASTERIENSIS,

COMITIS PYRMONTANI,

LIBERI BARONIS

DE FURSTENBERG,

AB EO MUNERI MISSUM.

DIALOGUS POETÆ ET NUMMI.

ODE III.

P. **A**T unde nobis luce pretiosa micans
 Se sponte nummus ingerit;
 Oneratque diti pondere humanas opes
 Nescire juratam manum?
 An fraudulentio rursus olli Juppiter
 Defluxit imbre prodigus?
 Herimusne arenis dives, & avari Midæ
 Voto superbus improbo
 Paetolus illum fudit, aut Phœbi rotâ
 Coruscus abstersâ Tagus?
 Frondens metallum nunquid Hesperiis male
 Deripuit hortis Hercules:
 Vel flavus Helles vector Æmonii tulit
 Ingens laboris præmium?

T ij

Mille an suorum delibutam cædibus
 Multoque rubram sanguine
 America glebam misit ; in propria heu ! nimis
 Opulenta tellus funera ?
 Dic ipse , sodes , numime ; nam te litteræ
 Testantur haud fandi rudem :
 Fortuna quæ te cepit ; aut cuius viri
 Clarus nites imagine ?
 N. Sum Ferdinandi munus , undosum caput
 Cui Pader a nascentis subjicit :
 Quem dominum adorat Luppia , Amisius yovet
 Sibi destinatum principem .
 Illius ora gesto : nam vir aureus
 Effungi in auro debuit ,
 Sed innocentē , labis & cunctæ integro ,
 Suīsque simili moribus .
 Procul hinc Jovis dederāt , furtūque Herculis ;
 Tinctumque parricidio ,
 Tædāque vellus Colchidis beneficæ
 Olim redemptum Jasōni ;
 Midæque crimen flumini infusum ; & suo
 Pinguis crux Mexica .
 Me terra virgo sub serenis solibus
 Primoque cœli lumine
 Parturiit ; orbi cùm crearet auream
 Saturnus ætatem pater :
 Cum fulva campis surgeret passim seges ,
 Auroque fronderet nemus ,
 Flaviisque late rutilus undaret liquor ;
 Nec invidetur Tagus .
 Præferre bifrons Janus hinc voluit suos ,
 Deique vultus hospitis :

Longum ut maneret sæculi cognominis
Impressa in auro gloria.

Per ora regum deinde , perque Cæsarum
Superbus ivi stemmata ;
Sua quos Olympos flammeis virtus rotis
Evexit ac fecit Deos.

Sic destinatam Ferdinando bræteam
Fata excolebant provida ;

Sic dedicabant. Ut pedo dignus forem ,
Tot ferre sceptræ debui.

P. O te beatum numme ! cui formam viri
Simulare coelestis datum ,

Et Vaticanæ par tiaræ parvulo
In orbe complecti caput.

Nec te caminis , credo , desflagrantibus
Fluxisse toties pœnitet ;

Nec pertulisse ferreas Brontis manus ,
Et malleos Steropis graves.

N. Doleantne vero, quæ mihi immensum decus
Pretiumque tulerint , vulnera ?

Hac scilicet pensantur inçudes bene
Flammisque stridentes lacus

Mercede, Cari ferre vultum principis ,
Constare caro par fuit.

P. Ergo alia , numme , in ora te verti nefas ,
Aliudve nomen indui.

Lamna illa fugiat Cæsarum effigies pati ,
Quæ Ferdinando serviit.

N. Et tu memento , qua decet , munus fide
Servare amici præfusilis :

Suscepta nec enim sponte paupertas verat
Sacrae esse custodem rei.